



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

B. Andreas De Chio M. 29. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

ubi canere Angelos nunquam non audirent. Ex Baron. & Pet. de Natal.

B. ANDREAS DE CHIO M.

29. Maii.

ANDREAM habes MARIAE, ut paucis dicam, corculum. Iuuenis annos natus XXVII. cum febris æstualet, vovit, si VIRGO salutem donaret, sese ei invicem castitatis florē donaturum. Voti damnatus integritatis propositum pafam candidā veste professus est, ut orbis sciret VIRGINIS eum candidatum esse, & vestium nives virginis animi essent indices. Et quid ni sic candidatus martyrum etiam honores prensaret? Enimvero Constantinopolim abiit eo ipso tempore, quo fidem Christi prodidit, nescio quis, philosophus. Quisquis fuerit, hoc etiam nomine indignus fuit. Certē potuit barbatus histrio à juvene ANDREA discere, primum in Christianā philosophiā dogma esse, mortem pro Christo contemnere, Captus enim blanditias, & aurea promissa risit. Sævientium verò impetus velut cautes in mari fluctus excepit, IX. omnino dies carnificina duravit. Inter quos potuere Mahumetani flagellis, & uncis lacerare corpus, sed non animum: locis suis artus ejicere distrahereque, sed non in suam sententiam trahere: gladiis humeros secare, membra singula per singulas

gulas carnificinas carne spoliare, sed non fide perinde ac constantiâ ANDREAM, qui inter tot dolores oblitus tamen dolorum, unius MARIÆ recordabatur, illud unum semper inclamans: MARIA *iuva me*, MARIA *iuva me*. Et verò iuvit illa, integrū quotidie corpus ad pugnam suggerens, necquidquam barbaris hoc medicinæ suæ ascribentibus. Demum omnibus cruciatus superior, capite minutus est. Corpus templum MARIÆ, animum quid nî sinus MARIÆ excepit? Ex *Suri* 10.7.

S. ISACIUS C. 30. Maii.

Movebat in hostem Imperator Valens ipse DEI longè maximus hostis, ut qui pro Arianis pugnabat, templisque Catholicos arcebat. Occurrit eunti ISACIUS noster plenus fatidico spiritu, & libertate Christianâ armatus, monuit, *si pacem in Imperio exoptaret, ne bellum cælo faceret: siq; belli portas claudere percuperet, Catholicorum templa prius aperiret; aliter crederet cum Superis sibi bellum fore, nec nisi sanguine suo, & interitu litaturum Marti.* Hæc inquam, & similia non semel ISACIUS occinebat Valenti. At hic molestum monitorem in obvia dumeta iussit abjici. Scilicet si spina illæ nunquam aliàs, tunc certe rosas tulerunt, sanguinemq; biberunt, quo rectè erubescerent. Et verò ad for-

mosa